



Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Tertiam Partem Summæ Theologiæ. Cum Commentariis
Reuerendiss. D. Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Sixti, Et Opvscvlis
Eivsdem In tres Tomos distinctis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

8. Vtrum per peccatum veniale impediatur effectus huius sacramenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72797](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72797)

Vtrum per ueniale peccatum impediatur effectus huius sacramenti.

4. d. 12. q. 2. a. 1. q. 1. & ar. 2. q. 1. ad 2. Tra. 16. in 10. post me. tom. 9.

AD OCTAVVM sic proceditur. Videtur, quod per ueniale peccatum non impediatur effectus huius sacramenti. Dicit enim Augustinus* super illud Ioan. 6. Panes uestri manducaverunt manna, &c. Panem coelestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare portate, peccata etsi sunt quotidiana, non sunt mortifera. Ex quo patet quod uenialia peccata, quae quotidiana dicuntur, spiritualem manducationem non impediunt: sed spiritualiter manducantes, effectum huius sacramenti percipiunt. ergo peccata uenialia non impediunt effectum huius sacramenti.

4. 69. ar. 9.

¶ 2 Præterea. Hoc sacramentum non est minoris virtutis, quam baptismus: sed effectum baptismi (sicut supra dictum est) impedit sola fictio, ad quam non pertinent peccata uenialia: quia sicut Sapientia dicitur, Spiritus sanctus disciplina effugiet fictum: qui tamen per peccata uenialia non fugatur. ergo neque effectum huius sacramenti impediunt peccata uenialia.

11. 4. arch. fi. ca. 14. am. ed.

¶ 3 Præterea. Nihil quod remouetur per actionem alicuius causae, potest impedire eius effectum: sed peccata uenialia tolluntur per hoc sacramentum. ergo non impediunt eius effectum.

1. 2. q. 81. 2. q. 4. & 5. 2. q. 24. ar. 10.

SED CONTRA est, quod Damascenus* dicit in 4. libro. Ignis eius, quod in nobis est, desiderij, assumens eam quae ex carbone, id est, ex hoc sacramento ignitionem, comburat nostra peccata, & illuminet corda nostra, ut participatione diuini ignis igniamur & deificemur: sed ignis nostri desiderij uel amoris impeditur per peccata uenialia, quae impediunt feruorem charitatis, ut in secunda parte* habitum est. ergo peccata uenialia impediunt effectum huius sacramenti.

Ar. 2. & 3. hu. in. quæst.

RESPONDEO. Dicendum, quod peccata uenialia dupliciter accipi possunt: uno modo, prout sunt præterita: alio modo, prout sunt actu exercita. Primo quidem modo, peccata uenialia nullo modo impediunt effectum huius sacramenti: potest enim contingere, quod aliquis post multa peccata uenialia commissa, deuote accedat ad hoc sacramentum, & plenarie huius sacramenti consequatur effectum. Secundo autem modo, peccata uenialia non ex toto impediunt huius sacramenti effectum, sed in parte. Dicitur enim, quod effectus huius sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiae, vel charitatis: sed etiam quaedam actualis relectio spiritualis dulcedinis: quae quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc sacramentum, per peccata uenialia mente distractus: non autem tollitur augmentum habitualis gratiae uel charitatis.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod ille, qui cum actu uenialis peccati ad hoc sacramentum accedit, habitualiter quidem manducat spiritualiter, sed non actualiter. Et ideo habitualem effectum huius sacramenti percipit, non autem actualem.

AD SECUNDUM Dicendum, quod baptismus non ita ordinatur ad actualem effectum, id est, feruorem charitatis, sicut hoc sacramentum. Nam baptismus est spiritualis regeneratio, per quam acquiritur prima perfectio, quae est habitus uel forma: hoc autem sacramentum est spiritualis manducatio, quae habet actualem delectationem.

F AD TERTIUM dicendum, quod illa ratio procedit de uenialibus præteritis, quae per hoc sacramentum tolluntur.

De usu seu sumptione huius sacramenti in communi, in duodecim articulos diuisa.

DEINDE considerandum est de usu, siue sumptione huius sacramenti. Et primo quidem, in communi. Secundo, quomodo Christus est usus hoc sacramentum.

CIRCA primum quaeruntur duodecim. ¶ Primo, Vtrum sint duo modi manducandi hoc sacramentum, scilicet sacramentaliter, & spiritualiter.

¶ Secundo, Vtrum soli homini conueniat manducare spiritualiter hoc sacramentum.

¶ Tertio, Vtrum solius hominis iusti sit manducare sacramentaliter.

¶ Quarto, Vtrum peccator manducans sacramentaliter, peccet.

¶ Quinto, De quantitate huius peccati.

¶ Sexto, Vtrum peccator accedens ad hoc sacramentum sit repellendus.

¶ Septimo, Vtrum nocturna pollutio impediatur hominem a sumptione huius sacramenti.

¶ Octauo, Vtrum sit solum a ieiunio sumendum.

¶ Nono, Vtrum sit exhibendum non habentibus usum rationis.

¶ Decimo, Vtrum sit quotidie sumendum.

¶ Undecimo, Vtrum liceat omnino abstinere.

¶ Duodecimo, Vtrum liceat percipere corpus sine sanguine.

Vtrum distingui debeant duo modi manducandi corpus Christi.

AD PRIMUM sic proceditur. Videtur, quod non debeant distingui duo modi manducandi corpus Christi, scilicet sacramentaliter, & spiritualiter: sicut enim baptismus est spiritualis rege ratio (secundum illud Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.) ita etiam sacramentum est spiritualis cibus: unde Dominus de hoc sacramento loquens dicit Ioann. sexto. Verba quae ego locutus sum uobis, spiritus & uita sunt: sed circa baptismum non distinguitur duplex modus sumendi, scilicet sacramentalis, & spiritualis. ergo neque circa hoc sacramentum debet hæc distinctio adhiberi.

¶ 2 Præterea. Ea, quorum unum est propter alterum, non debent abinuenire diuidi: quia unum ab alio speciem trahit: sed sacramentalis manducatio ordinatur ad spirituales, sicut ad finem. non ergo debet sacramentalis manducatio contra spirituales diuidi.

¶ 3 Præterea. Ea, quorum unum non potest esse sine altero, non debent contra se diuidi: sed uidetur quod nullus possit manducare spiritualiter, nisi etiam sacramentaliter manducet: alioquin antiqui patres hoc sacramentum spiritualiter manducassent: frustra etiam esset sacramentalis manducatio, si sine ea spiritualis esset posset. non igitur conuenienter distinguitur circa hoc sacramentum duplex manducatio, scilicet sacramentalis & spiritualis.